BREIER

De Amicitia Principum



Einladung

zu den

auf den 1sten, 2ten und 3ten April 1857

angeordneten

öffentlichen Prüfungen und Redeübungen

der Schüler des Catharineums in Lübeck,

von

Fr. Breier,

Director und Professor.

Inhalt:

1) De amicitia principum. Explicatur locus Aristotelis Eth. Nicom. p. 1158 a 27 sqq.

2) Schulnachrichten.

Lübeck 1857.

Gedruckt in der Rathsbuchdruckerei.

DE AMICITIA PRINCIPUM.

Locus Aristotelis Eth. Nicom. p. 1158 a 27 sqq.

explicatur.

Aristoteles in octavo Ethicorum Nicomacheorum libro, postquam principio exposuit cur de amicitia jam sit accuratius disputandum, sententiasque philosophorum diversas breviter et attulit et dijudicavit (Cap. I. II), deinceps amicitiæ definitionem et divisionem ipse proponit (Cap. II), repertisque tribus formis atque inter se collatis (Cap. III—V), ita pergit ut capp. VI et VII fere inquirat, quibus rebus amicitia adjuvetur, quæque sit amicitiarum vel facilitas vel difficultas pro diversa hominum ætate, indole, conditione, statu rel. Inter quæ etiam de amicitia *principum et præpotentium* pauca concisa illa Stagiritæ brevitate dicta leguntur p. 1158a 27 sqq. Nam ii, inquit, qui in imperiis potestatibusque versantur, amicis utuntur diversis; alii enim utiles iis sunt, alii jucundi, neque iidem fere et jucundi et utiles. Jucundos non ita quærunt ut spectent virtutem, neque utiles ut ad honeste facta sibi auxilio sint; sed lepidos illos volunt esse et urbanos oblectationis causa, hos gnavos et strenuos quorum opera consilia sua exsequantur. Nec fere fit ut in eodem viro utrumque simul occurrat. — Hactenus omnia facile intelliguntur. Tum vero explicat, cur vir bonus, qui sane utilis est idemque jucundus, ad amicitiam potentium se conferre nolit, vel qua potius conditione possit in amicitia esse cum principe; qui locus, quamquam ab omnibus interpretibus, excepto uno Giphanio, maximo consensu in eundem modum acceptus est, ad quorum sententiam auctores qui nostra memoria ethicis edendis illustrandisque operam dederunt, Zellius, Micheletius, Fritzschius, accesserunt, tamen non ita videtur liquidus esse atque expeditus, ut cum grammaticæ habita ratione tum totius argumenti in vulgata explicatione possit acquiesci.

Sunt autem philosophi ipsa verba hæc p. 1158a 33 sqq.: *ἡδὺς δὲ καὶ χρήσιμος ἅμα εἴρηται ὅτι ὁ σπουδαῖος · ἀλλ' ὑπερέχοντι οὐ γίνεται ὁ τοιοῦτος φίλος, ἂν μὴ καὶ τῇ ἀρετῇ ὑπερέχηται · εἰ δὲ μή, οὐκ ἰσάζει ἀνάλογον ὑπερεχόμενος · οὐ πάνυ δ' εἰώθασι τοιοῦτοι γίνεσθαι.* Quorum investigationem sic instituam, ut vulgata sententia primum regula grammaticæ, tum ad philosophi universam de amicitia doctrinam examinetur; denique veram Aristotelis sententiam exponam, Giphaniique, viri acutissimi, partes quantum maxime potero defendam.

Jam quod ad vulgatam opinionem attinet, et longum est omnium verba transscribere, nec necessarium, quum Aspasii lucida expositione

continineantur quæcunque vel veteres vel recentiores attulerunt. Aspasius autem ita dicit: *ὑπερέχοντος οὐ γίνεται φίλος ὁ σπουδαῖος, ἂν μὴ καὶ ἀρετῃ ὑπερέχηται ὁ ὑ π ε ρ έ χ ω ν κ α τ ὰ τ ὴ ν δ ύ ν α μ ι ν . δεῖ δὲ οὕτως ἀκούειν τοῦ ὑπερέχεσθαι τὸν δυνάστην ὥ σ τ ε κ α ὶ ε ἰ δ έ ν α ι κ α ὶ ἔ χ ε ι ν π ρ ὸ ς τ ὸ ν σ π ο υ δ α ῖ ο ν ὡ ς π ρ ὸ ς κ ρ ε ί τ τ ο ν α . οὕτω γὰρ ἔσται ἡ κατ' ἀναλογίαν ἰσότης, ἂν οἴηται μὲν πλούτῳ καὶ δυνάμει ὑπερέχειν, θαυμάζοι δὲ τὸν ἀγαθὸν ὡς κατ' ἀρετὴν αὐτοῦ διαφέροντα.* Extrema etiam concinnius dicuntur paraphrasi latina quam Dan. Heinsius edendam curavit, cujus verba hæc: Ita æquabit eum qui dignitate præcellit vir bonus, si, quemadmodum postulat proportio, *et superat et superatur.* Hæc luculente sane videntur explanata; utrique enim id quod deest, sive ad virtutem, sive ad potentiam, alterius abundantia compensatur. At primum quærere licet, quo jure Aspasius, quique eum sequuntur, subjectum enunciati mutaverit, ita ut ad *ὑπερέχηται* subaudiendum esse dicatur *ὁ ὑπερέχων κατὰ τὴν δύναμιν,* quum tamen quisquis Aristotelis verba legerit non possit quin de viro bono (*ὁ τοιοῦτος*) agi censeat. Quamvis enim sit libera et mobilis græci sermonis consuetudo, tamen licentiæ est modus, neque aut ad constructionem quam *κατὰ σύνεσιν* dicunt, aut ad brachyologiam hic refugiendum est, cujus exempla Kühnerus gramm. græc. §. 752 multa et varia attulit. Tum vide ne verborum ordo istam interpretationem excludat. Demonstratur enim, ut vidimus, ad æqualitatem conficiendam utrumque oportere et superare et superari, superare principem potestate, superari virtute, ac virum bonum vicissim superiorem esse virtute, inferiorem potestate, quod, si quid video, pro rerum ratione sic erat græce dicendum: *ἂν μὴ καὶ ὑπερέχηται* sc. *τῇ ἀρετῇ.* Nam adverbium *καὶ* proxime antecedat oportet eam vocem qua vis orationis continetur. Nunc Aristoteles non ad verbum *ὑπερέχηται* voculam *καὶ* adjecit, sed ad *ἀρετῇ;* nempe ut moneat in virtute, quæ opponitur potestati (*ἐξουσίαις*) ab eaque distinguitur, cardinem versari, non in genere verbali.

Ac de grammatica quidem hactenus. De re, necesse est diligenter attendamus quam formam amicitiæ intelligi velit philosophus, ne, quum sit amicitiæ species multiplex, pugnantia loqui videatur. Sunt igitur amicitiæ primum diversæ pro natura rerum amabilium, quæ est divisio reliqua omnia complectens, tum vero ætas, vitæ conditio, conjunctio sanguinis, rerum tam publicarum quam privatarum et familiarium necessitudo, postremo negotia in rebus contrahendis communicata, vel periculorum, ut belli aut navigationis, consortio pariunt amicitias, varias illas quidem, pretioque et longinquitate multum inter se dissimiles, quæ tamen omnes uno amicitiæ nomine comprehenduntur. Ubicunque enim mutua est benevo-

lentia, nascitur amicitia, et commilitonum atque una navigantium societas passim eo nomine vocatur, veluti **1159b 28**, **1161b 13**. Vera autem ac perfecta est ea amicitia, quæ est virorum bonorum virtute similium, eaque sola stabilis est, quæ nec tempore aut fortuna dirimatur, nec criminationibus locum præbeat, quibus facile dissolvuntur quæ utilitatis aut voluptatis gratia ortæ sunt. Ac quum in amicitia perfecta alter alteri per se sit benevolus et concors, ii qui voluptatem vel utilitatem sequuntur amicitiam retinent, dum fructum capiunt, desinunt esse amici, simul ac res mutantur quarum causa conjuncti erant. Nihil autem mutabilius quam commoda hominum et voluptates, quæ alio tempore alia sunt atque eodem sæpe die variantur. Quare ejusmodi amicitiæ ad similitudinem tantum vocantur suntque quasi fortuitæ (*κατὰ συμβεβηκὸς*), quum virtus conciliet amicos per se et simpliciter (*ἁπλῶς*).

Jam vero in aperto est, quum amicitia etiam inter homines pravos esse possit et malorum cum bonis[1]), quatenus utilitatis aut voluptatis vinculo conjunguntur, sæpe accidere ut potentium cum viris bonis sit amicitia quædam ac mutua benevolentia beneficiis dandis accipiendisque ornata. Quod etiam extremo libri octavi capite illustratur, ubi de causis disputat quibus amicitiæ inter homines impares dissolvi soleant. Aequum enim esse ait utrumque fructum sibi aliquem ex amicitia petere, non eundem quidem, sed alterum honoris, alterum commodi. Honor enim præmium est virtutis; inopiæ subsidium merces.[2]) Ac tribuendum quidem cuique pro re et dignitate, nisi forte beneficia majora sint quam quibus par præmium possit reddi, ut philosophorum, qui doctrina et virtute alios auxerint; tum pro virili parte esse navandum aut voluntatem emetiendam, quemadmodum in deos et parentes.[3]) Ubi vero nihil reddatur, amicitiam necessario dissolvi, id quod citharœdi nescio cujus exemplo perquam manifesto probatur, cui quum a Dionysio tyranno cantandi præmium peteret promissum, ille respondit voluptatem se reddidisse pro voluptate; spem scilicet

1) 1157 a 16. *δι' ἡδονὴν μὲν οὖν καὶ διὰ τὸ χρήσιμον καὶ φαύλους ἐνδέχεται φίλους εἶναι ἀλλήλοις, καὶ ἐπιεικεῖς φαύλοις, καὶ μηδέτερον ὁποιῳοῦν.*

2) 1163 b 1 sqq. *ἔοικε δὲ ἑκάτερος ὀρθῶς ἀξιοῦν, καὶ δεῖν ἑκατέρῳ πλέον νέμειν ἐκ τῆς φιλίας, οὐ τοῦ αὐτοῦ δὲ, ἀλλὰ τῷ μὲν ὑπερέχοντι τιμῆς, τῷ δ' ἐνδεεῖ κέρδους· τῆς μὲν γὰρ ἀρετῆς καὶ τῆς εὐεργεσίας ἡ τιμὴ γέρας, τῆς δ' ἐνδείας ἐπικουρία τὸ κέρδος.*

3) 1164 b 2. *οὕτω δ' ἔοικε καὶ τοῖς φιλοσοφίας κοινωνήσασιν· οὐ γὰρ πρὸς χρήμαθ' ἡ ἀξία μετρεῖται, τιμή τ' ἰσόρροπος οὐκ ἂν γένοιτο, ἀλλ' ἴσως ἱκανόν, καθάπερ καὶ πρὸς θεοὺς καὶ πρὸς γονεῖς, τὸ ἐνδεχόμενον.*

declarans, qua eum illuserat (1164a 15). Jam vero non quæram, fidicen ille num fuerit vir bonus, qualem Aristoteles dixerit *σπουδαῖον*, aut omnino possit amicitia recte appellari histrionum, saltatorum, reliquorum ejus generis cum regibus et principibus societas mercenaria (quamquam Aristotelem possim adhibere testem), sed Platonis tamen quis negaverit cum Dionysio minore conjunctionem fuisse amicitiam, aut cum Hierone rege Simonidis, Aeschyli, Pindari, aut Euripidis cum Archelao? Qui, quum ingenio et virtute præstarent, non dubitabant ad regum tyrannorumque opibus et potentia valentium amicitiam se conferre, et honore muneribusque aucti illos sapientia, consilio, præceptis adjuvare, vel carminibus celebrare et obsequio prosequi. Adde Horatios, Marones, adde tot cujusque artis claros viros qui omnibus temporibus in magnorum et præpotentium familiaritatem recepti sunt. Num omnes fuisse dixeris e vili assentatorum grege, parasitos, scurras, nec quemquam qui boni viri nomine merito appelletur? Atqui hi quidem voluntarii, nulla necessitate coacti, nullo vocante officio, amicitias potentium colebant; quid quod in regnis virorum optimorum cum regibus ipsis multorum officiorum est intima conjunctio, ut etiam mortem pro regum salute oppetere velint! Amicitiam autem esse talem officiorum ac beneficiorum ultro citroque datorum et acceptorum societatem Aristoteles affirmat his fere verbis: In unaquaque civitatis forma amicitia tam late patet quam justitia. Regi igitur in cives imperio subjectos amicitia est beneficiorum abundantia insignis; curam enim habet eorum, ut salvi sint et bene se habeant, tanquam pastor ovium, unde etiam Homerus Agamemnonem appellat pastorem.[1]) Rursus civium in reges amicitia ministerio et obsequio comprobatur, regique tribuendum quod patri; nam regia, inquit, potestas paternæ habet similitudinem;[2]) ac quando liberi parentibus debita præbent, liberis itidem parentes, stabilis erit amicitia et proba.[3]) Ejusdem generis esse patronorum et clientium societatem, quæ apud Romanos tam late patebat, ratio docet, ita ut exempla amicitiæ inter bonos viros et potentes contractæ haud admodum rara, immo innumera esse videantur.

---

1) 1161 a 10. *καθ' ἑκάστην δὲ τῶν πολιτειῶν φιλία φαίνεται ἐφ' ὅσον καὶ τὸ δίκαιον, βασιλεῖ μὲν πρὸς τοὺς βασιλευομένους ἐν ὑπεροχῇ εὐεργεσίας · εὖ γὰρ ποιεῖ τοὺς βασιλευομένους, εἴπερ ἀγαθὸς ὢν ἐπιμελεῖται αὐτῶν, ἵν' εὖ πράττωσιν, ὥσπερ νομεὺς προβάτων · ὅθεν καὶ Ὅμηρος τὸν Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν εἶπεν.*

2) 1160b 26. *πατρικὴ γὰρ ἀρχὴ βούλεται ἡ βασιλεία εἶναι.*

3) 1158b 21. *ὅταν δὲ γονεῦσι μὲν τέκνα ἀπονέμῃ ἃ δεῖ τοῖς γεννήσασι, γονεῖς δὲ υἱέσι ἃ δεῖ τοῖς τέκνοις, μόνιμος ἡ τοιούτων καὶ ἐπιεικὴς ἔσται φιλία.*

Quod si ita est — vidimus autem, Aristotelem secuti, rem ita se habere — apparet non de qualibet amicitia cogitandum esse, quæ rerum necessitudine commodique causa inter potentes viros et bonos existat, sed de vera illa et perfecta, cujus imaginem supra adumbravimus, quamque raram esse philosophus demonstrat. Pauci enim, inquit, tales sunt. *Tales* autem dicit simpliciter bonos, virtutis studiosos, nulla voluptatis vel utilitatis appetitione impulsos; quamquam virtus per se non expers est utilitatis et voluptatis. Præterea ad tales amicitias conciliandas tempore opus est et consuetudine. Nam, ut est in proverbio, non possunt inter se noti esse, nisi salis quam dicunt copiam una ederint, neque in amicitiam recipere quemquam aut amici esse, priusquam alteri alter amore dignus visus sit ac spectatus.[1]) Quodsi omnino amicitia vera raro invenitur etiam inter æquales, quanto difficilius erit eos, qui opibus et potentia multum distant, amicitia stabili et sincera copulari? Quibus explicatis videamus, quoniam ratio cogit ut amicitiae fines arctius contrahantur, num Aspasii interpretatio cum re et veritate consentiat. Potenti viro, inquit, et opibus præcellenti vir bonus non erit amicus. Nimirum inæqualitas magnum amicitiæ impedimentum, et amicitia proverbio etiam æqualitas vocatur.[2]) Sed si æqualis erit factus, poteritne vir bonus principis in amicitiam pervenire atque amicitia perfecta et stabili cum eo conjungi? Isto modo vero. Jam æqualitas est duplex, altera numeri et quantitatis, ut opibus, ordine, genere, aliis ad vitam spectantibus rebus pares sint; altera proportionis, qua dissimilitudo officiorum exæquatur, veluti parentibus alia praestanda sunt in liberos, alia liberis in parentes, ac tamen ratio constat et æquitas servatur, utrique si faciunt pro portione. Ergo nihil obstat quin inter principem et virum bonum amicitia sit vera et intima, dummodo vir bonus tanto superior sit virtute, quanto inferior est potentia et bonis externis, ut ratio constet atque pro portione uterque et inferior sit et superior. At qui fieri potest ut vir bonus, isque virtute quantum maxime excellens, in amicitiam, non dico qualemcunque, sed perfectam illam principis se admittat, nisi eundem noverit virtutis esse amantem? Perfectam enim amicitiam vidimus

---

1) 1156b 24. *σπανίας δ' εἰκὸς τὰς τοιαύτας εἶναι · ὀλίγοι γὰρ οἱ τοιοῦτοι. ἔτι δὲ προσδεῖται χρόνου καὶ συνηθείας · κατὰ τὴν παροιμίαν γὰρ οὐκ ἔστιν εἰδῆσαι ἀλλήλους πρὶν τοὺς λεγομένους ἅλας συναναλῶσαι · οὐδ' ἀποδέξασθαι δὴ πρότερον οὐδ' εἶναι φίλους, πρὶν ἂν ἑκάτερος ἑκατέρῳ φανῇ φιλητός ὢν καὶ πιστευθῇ.*

2) 1157b 36. *λέγεται γὰρ φιλότης ἡ ἰσότης.* — 1168b 6. *καὶ αἱ παροιμίαι δὲ πᾶσαι ὁμογνωμονοῦσιν, οἷον τὸ μία ψυχὴ, καὶ κοινὰ τὰ φίλων, καὶ ἰσότης φιλότης, καὶ γόνυ κνήμης ἔγγιον.*

esse bonorum virtute similium.[1]) An virtus potest potentia et opibus emi, quum ne philosophiae quidem dignitas possit pecunia aestimari aut honor inveniri par meritis? Absurdum sane est, eum qui virtute inferior sit, externorum bonorum affluentia parem fieri bono atque egregio viro. Quod quum vidisset Aspasius, adjunxit tum fore amicitiam firmam et veram, si vir potens se virtute inferiorem esse agnosceret, suspiceretque alterum ut superiorem et virtute praestantem. Bene hoc; nam alterius agnoscere virtutem et admirari fascesque illi submittere, quum praesertim sis loco et potentia superior, id profecto generosi est animi, nec dubium quin talis admiratio quasi genetrix sit amicitiae, ut Dionysium legimus Pythagoreorum duorum virtutem admiratum exclamasse: *Utinam ego tertius vobis amicus ascriberer!* Sed Aristoteles de admiratione ne verbum quidem dixit, apud quem nihil praeter haec: *ἂν μὴ καὶ ἀρετῇ ὑπερέχηται.* Quae sive ad principem refers sive ad bonum virum, de re et conditione dicuntur, non de opinione et judicio quo alter alterum aestimet; neque illud est interpretari, sed vim afferre suasque opiniones subjicere scriptori.

Quae quum ita sint, quumque et grammaticae praeceptis et rerum ac sententiarum vi Aspasii explicatio, quam adhuc omnes approbarunt, refutetur, redeamus ad ipsum philosophum, ejusque verbis accurate perpensis quid velit exploremus. Viro igitur potentia praestanti non erit amicus vir bonus, nisi etiam virtute sit inferior, quemadmodum inferior est opibus, vel accedat necesse est ad imperii potentiam praestantiam quoque virtutis, ut locus sit verae amicitiae, quæ nisi inter bonos esse nullo modo potest. Hanc philosophi esse sententiam apparet, si quae de amicitia quam vocat *καθ' ὑπεροχήν* cap. VIII disputat pertractamus. Reliquae enim amicitiae quum sint inter aequales, propria et singularis forma est eorum qui natura vel vitae conditione impares sunt, ut pater filius, vir femina, deus homo.[2]) Inter quos amicitia potest tribus illis causis nasci, ut

1) 1156 b 7. *τελεία δ' ἐστὶν ἡ τῶν ἀγαθῶν φιλία καὶ κατ' ἀρετὴν ὁμοίων.*

2) 1162 a 4. *ἔστι δ' ἡ πρὸς γονεῖς φιλία τέκνοις, καὶ ἀνθρώποις πρὸς θεούς, ὡς πρὸς ἀγαθὸν καὶ ὑπερέχον.* Aliis locis deorum et hominum amicitiam esse negat, quam tolli ait nimia distantia, velut 1159 a 3. *ἀκριβὴς μὲν οὖν ἐν τοῖς τοιούτοις οὐκ ἔστιν ὁρισμός, ἕως τίνος οἱ φίλοι· πολλῶν γὰρ ἀφαιρουμένων ἔτι μένει, πολὺ δὲ χωρισθέντος, οἷον τοῦ θεοῦ, οὐκέτι. ὅθεν καὶ ἀπορεῖται, μή ποτ' οὐ βούλονται οἱ φίλοι τοῖς φίλοις τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν, οἷον θεοὺς εἶναι· οὐδὲ γὰρ ἔτι φίλοι ἔσονται αὐτοῖς.* In quibus modestiam veri philosophi agnoscas, multum a Stoici rhetoris superbia et tumore abhorrentem, cujus exemplum vide Sen. de provid. cap. I. „Inter bonos viros ac deos amicitia est conciliante virtute. Quid dico? immo etiam similitudo, quoniam quidem bonus tempore tantum a deo differt.“ — Aliter Paulus ad Rom. 8, 35 sqq. *τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ κ. τ. λ.*

virtute vel commodo vel voluptate conjuncti sint. De virtute autem hic agi demonstravimus. Cujus amicitiæ propria est paritas quæ dicitur *pro portione*, quam tum voce ἀνάλογον, tum κατ' ἀξίαν Aristoteles distinguit. Sic 1158 b 23: *ἀνάλογον δ' ἐν πάσαις ταῖς καθ' ὑπεροχὴν οὔσαις φιλίαις καὶ τὴν φίλησιν δεῖ γίνεσθαι, οἷον τὸν ἀμείνω μᾶλλον φιλεῖσθαι ἢ φιλεῖν, καὶ τὸν ὠφελιμώτερον, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον ὁμοίως· ὅταν γὰρ κατ' ἀξίαν ἡ φίλησις γίγνηται, τότε γίγνεταί πως ἰσότης.* Item 1161 a 18. *φύσει τε γὰρ ἀρχικὸν πατὴρ υἱῶν καὶ πρόγονοι ἐκγόνων καὶ βασιλεὺς βασιλευομένων. ἐν ὑπεροχῇ δὲ αἱ φιλίαι αὗται, διὸ καὶ τιμῶνται οἱ γονεῖς, καὶ τὸ δίκαιον δὴ ἐν τούτοις οὐ ταὐτὸ ἀλλὰ κατ' ἀξίαν· οὕτω γὰρ καὶ ἡ φιλία.* Et uberius cap. XV. p. 1162 a 34 sqq. *τριττῶν δ' οὐσῶν φιλιῶν, καθάπερ ἐν ἀρχῇ εἴρηται, καὶ καθ' ἑκάστην τῶν μὲν ἐν ἰσότητι φίλων ὄντων, τῶν δὲ καθ' ὑπεροχὴν — τοὺς ἴσους μὲν κατ' ἰσότητα δεῖ τῷ φιλεῖν καὶ τοῖς λοιποῖς ἰσάζειν, τοὺς δ' ἀνίσους τῷ ἀνάλογον ταῖς ὑπεροχαῖς ἀποδιδόναι.* Jam vide, quam haec apta sint ad locum de quo agimus illustrandum. Ponatur igitur vir praepotens potestate, et alius illo inferior (ὑπερεχόμενος), idem vero vir honestus (σπουδαῖος). Is tum demum amicitiam principis amplectetur, si, quemadmodum opibus et potentia superiorem videt, virtutem quoque illius eodem modo poterit suspicere (ἂν μὴ καὶ ἀρετῇ ὑπερέχηται). Est enim ratio similis ut liberorum ad parentes, hominum ad deos: ὡς πρὸς ἀγαθὸν καὶ ὑπερέχον. Tanto igitur eum amore magis prosequetur, quanto virtute excellentem noverit seque superiorem (ἀνάλογον ἀποδώσει τῇ ὑπεροχῇ· cf. 1162 b 4. quem locum paulo ante laudavimus); sin minus (εἰ δὲ μή), hoc est, si princeps ille virtute non excellat, exæquatio nulla est nec proportio (οὐκ ἰσάζει ἀνάλογον ὑπερεχόμενος).[1] Tales autem amicitias admodum esse raras non mirum, quum etiam aequalium amicitiae ob virorum bonorum paucitatem frequentes non sint, quumque praeter morum similitudinem etiam alia accedere oporteat, ut amicitia conficiatur vera, stabilis, perfecta. Quodsi omnino virorum bonorum numerus haud ita magnus est, quanto minor potentium qui virtute simul excellant; quare recte Aristoteles: *οὐ πάνυ δ' εἰώθασι τοιοῦτοι γίνεσθαι.* *Τοιοῦτοι* autem sunt, qui cum summa potentia conjungant praestantiam virtutis, non qui fateri se velint

1) Frustra Fritzschius Zellium secutus, qui tamen cautius loquitur, rem ipsam docere ait articulum ὁ adjiciendum esse ad ὑπερεχόμενος. Atqui idem paulo ante: *curandum est*, inquit, *ut uterque et superet et superetur.* Jam quis est ille ὑπερεχόμενος quem articulo distingui vult, quum uterque sit et ὑπερέχων et ὑπερεχόμενος? Tantane ambiguitate locutum esse philosophum omnium acutissimum? Immo articuli locus est nullus. Participium autem vim habet quam grammatice dicimus praedicativam, verboque ἰσάζειν eadem ratione adjunctum est, qua more Graecorum alia quoque verba participiis appositis terminantur. De qua re vide Curtii gramm. graec. §. 590. it. Kühner. §. 661, VII. Rost. §. 129, a. Not. 1.

ulla re superari, ut Fritzschius voluit, aut ut Zellius, sensu eodem, verbis paulum mutatis, qui virtutis praestantiam agnoscant.

Sententiam modo probatam omnium unus vidit Giphanius, cujus verba eo magis apponenda nobis esse putamus, quum a Zellio minus recte intellecta esse videantur. Non tamen totum commentariorum locum describam, qui est paulo longior, sed ea tantum quae rem continent. »Ergo, dicet aliquis, fieri poterit ut imperio potentes non diversis sed iisdem etiam amicis utantur ad res diversas, contra atque modo est expositum, nimirum si viros bonos habeant amicos, ex quibus et voluptatem et utilitatem capiant (ἡδὺς δὲ καὶ χρήσιμος ἅμα εἴρηται ὅτι ὁ σπουδαῖος 1158 a 33). Respondet Aristoteles, vix hoc accidere ut vir bonus potestati praedito fiat amicus. Inter hos namque amicitiam coalescere non posse (locus difficillimus, pessime vulgo acceptus) *nisi quantum virum bonum superat quis imperio, tanto et virtute superet.* At hoc difficillimum et rarissimum, ut principes, quo sunt aliis imperio et potestate, tanto et virtute sint superiores. Tales (inquit Aristoteles οὐ πάνυ) vix reperiri solent. Ergo nec amicitia imperio praeditis cum viro bono nisi rarissime coalescit et conglutinatur«. Tum paucis de duplici aequalitate disputatis totam argumentationem ad conclusionis formam reducit hisce verbis:

Ubi nulla aequalitas, ibi nec amicitia.

At inter potestate seu imperio praeditum et inter virtute praeditum nulla est aequalitas, nisi, qui imperio, idem et virtute alterum superet, quod genus est rarissimum.

Ergo inter hos non est amicitia.

Quae si legeris et cum Zellii commentario comparaveris, duobus locis reperies ab editore male intelligi. Primum quod Zellius Giphanium dicit verbum ὑπερέχηται sensu activo accepisse, non recte dicit. Giphanius enim quamquam activo verbi genere utitur, tamen constructionem Aristotelis passivam bene vidit; etenim si activo sermone de viro praepotenti loquitur, idem plane facit quod Aristoteles, qui genus passivum refert ad virum bonum. Tum etiam in hoc Zellius errat quod Giphanium ait ad τοιοῦτοι supplesse φίλοι. Quod non ita esse docent verba supra allata, quae qui accurate inspexerit non poterit non videre, *tales* ei esse principes qui virtute et potentia sint superiores.

Jam Aristotelis sententia ex rerum natura et verborum proprietate ponderata atque explicata finem possim facere hujus quaestionis; quum tamen et res per se sit cognitione digna, amicitiam dico principum, et tanta interpretationis diversitas doctorumque virorum vel consensus vel

dissensio maxime memorabilis, haud alienum esse videtur alia quoque testimonia circumspicere, quibus philosophi verba, brevissima illa quidem nec primo obtutu perspicua, illustrentur. Ac Ciceronis quidem Lælius, quamquam gravissimis pulcherrimisque sententiis abundat, nihil tamen habet quo ad rectam Aristotelis explicationem lucis aliquid afferatur. Nam quod dicit (15, 54. cf. 17, 63.) multorum opes praepotentium excludere amicitias fideles, quum fortuna non solum caeca ipsa sit, sed eos etiam plerumque caecos efficiat quos sit complexa, ut sine dubio verum est, ita ab Aristotelis subtilitate remotum, qui non magis de iis rebus disserit quibus amicitia impediatur, quam de conditionibus quibus amicitia nasci et stabilis esse possit, praeterquam quod totam quaestionem finibus descriptis astringens non de universa potentium amicitia agit, sed de ea quae inter potentem virum possit esse et virum bonum eumque opibus inferiorem. Porro quae Cicero in eodem libro (cap. 16) de officiis amicorum paribus disputat, similitudinem quidem habent *analogiae*, cujus Aristoteles habet rationem, sed pertinent ad amicitias illas vulgares, commodi et voluptatis causa ad tempus ortas. Itaque recte Cicero addit hoc esse nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum; atque ipse Aristoteles idem angusti et exigui animi esse satis lucide declarat, quum ejusmodi amicos sic faciat loquentes: *τί γὰρ ὄφελος σπουδαίῳ ἢ δυνάστῃ φίλον εἶναι μηθὲν γε μέλλοντα ἀπολαύειν;* (1163 a 34.) Quae quamquam ad falsam Aspasii ceterorumque opinionem refutandam recte adhiberi possunt, tamen rem ipsam non explicant. Unus est locus Ciceronis, ubi de superiorum inferiorumque amicitia in eodem libro pauca disseruntur (cap. 19). Superiorum enim ait esse proprium, si quidem veri sint amici, ut etiam eos qui nequaquam pares sint colant tanquam superiores, neque se inferioris ordinis amicis praeponant. At his aliisque naturam potius amicitiae describi, quam qua ratione et conditione possit amicitia existere, id quod Aristoteles fecit, facile intelligitur. Quodsi philosophorum auxilium nequidquam invocamus, ad poetas refugiendum, quorum dictis etiam Aristotelem libenter uti notum est, eorumque ex numero Schillerum nostrum testem adhibebo, qui omnium maxime cum poetico ardore philosophi conjunxit acumen et subtilitatem. Is, ubi Caroli principis Hispaniensis et Roderici equitis Melitensis amicitiam exhibet, magnum exemplum attulit tamque cum Aristotelis illa descriptione congruens, ut vix possit excogitari quidquam magis perspicuum et luculentum.

Inducit enim poeta hominem potentia superiorem, qualem Aristoteles dixit *ἐν ταῖς ἐξουσίαις, ὑπερέχοντα,* heredem regni tum temporis omnium

maximi, in cujus finibus sol non occidit, eumque amicitiae inferioris hominis virtute praestantis (σπουδαίου) desiderio flagrantem. Erant enim sodales et collusores, ob eamque rem consuetudine quidem inter se conjuncti, non tamen vera illa amicitia, qua efficitur ut aeque quisque altero delectetur ac se ipso, utque unus fiat ex pluribus.[1]) Namque obstaculo fuit vitae ac conditionis inaequalitas, id quod bene intellexit alter, qui, quum aliorum puerorum sibi aequalium intima familiaritate libere uteretur, regis filio, amicitiam ejus summo studio appetenti, nihil redderet nisi genu submisso reverentiam regiae dignitati debitam, amicitia detrectata[2]) (ὑπερέχοντι οὐ γίνεται φίλος ὁ τοιοῦτος sc. σπουδαῖος). Postea tamen narratur fortuna favente et casu effectum esse, quod studio ac dedita opera nunquam fieri poterat. Accidit enim inter ludum ut Rodericus imprudens pilam in reginae Bohemiae oculum mitteret, eamque gravi afficeret dolore. Quae quum malitia puerorum sibi hanc factam esse injuriam crederet, regem adiit queribunda, isque maleficium se atrociter vindicaturum esse pollicitus est. Tum Carolus filius, amicum aspiciens pavidum et trementem, nobili mendacio sese reum ipse professus est, neque recusavit quin in conspectu totius aulae verberibus crudelissime caederetur. Tanto tandem amoris testimonio victus ille se totum dedidit in principis amicitiam, quem non minus regio splendore quam virtutis praestantia animique altitudine superiorem cognovisset.[3]) Nonne habes Aristotelis illud: ἂν μὴ καὶ τῇ ἀρετῇ ὑπερέχηται sc. ὁ σπουδαῖος? At puerorum haec puerilia tractantium. Recte

1) 1166a 31. ἔστι γὰρ ὁ φίλος ἄλλος αὐτός. Cf. Cic. de off. I, 17, 56.

2) Don Carlos, Act 1. Sc. 2.
Da fing ich an mit tausend Zärtlichkeiten
Und treuer Bruderliebe dich zu quälen;
Du stolzes Herz gabst sie mir kalt zurück.
Oft stand ich da, und — doch das sahst du nie!
Und heiße, schwere Thränentropfen hingen
In meinem Aug', wenn du, mich überhüpfend,
Gering're Kinder in die Arme drücktest.
Warum nur diese? rief ich trauernd aus;
Bin ich dir nicht auch herzlich gut? — Du aber,
Du knietest kalt und ernsthaft vor mir nieder:
Das, sagtest du, gebührt dem Königssohn.

3) Don Carlos, Act 1. Sc. 2. Mein königliches Blut
Floß schändlich unter unbarmherz'gen Streichen.
Ich sah auf dich, und weinte nicht. — Du kamst;
Laut weinend sankst du mir zu Füßen. Ja,
Ja, riefst du aus, mein Stolz ist überwunden.
Ich will bezahlen, wenn du König bist.

id quidem; ac pueri impetu ducuntur, neque stabilis eorum est amicitia.[1]) Poeta autem non de pueris quibuscunque narrat, sed in quibus semina sparsit summae virtutis, quae cum aetatis progressione simul adolescerent, adultaque eandem morum constantiam atque excellentiam praeberent quam promisit puerorum subita animi elatio. Id quod ejusdem tragoediae in alio loco optime demonstratur. Nam postquam Rodericus rebus praeclare gestis magnaque orbis parte peragrata jam non puer mobilis, sed vir prudens et consiliorum vastorum plenus, in patriam rediit, vide quam caute et considerate amici mentem perscrutetur, antequam eadem familiaritate utatur qua puer consueverat, quam severa admonitione eum repellat remis velisque in altum proruentem. Somnium illud, inquit, est pulcherrimum et divinum; sed vide ne aufugiat. Aderit enim dies ardui discriminis, quum rege exstincto tu, modo homo unus e multis, dominus eris atque arbiter maximi orbis terrarum imperii, ac tanquam deus omnia infra te posita videbis. Jam circum te volitabit adulatorum caterva, omnesque potentiae ac voluptatum illecebrae animum agitabunt; quid tum tibi amicus? nam amicitia audax est atque acris veritatis vindex, cujus tela formidolosa sunt tyrannis; domini autem non magis est civis libertatem, quam civis superbiam principis tolerare.[2]) Quae deinde Carolus respondet, etsi

1) 1156 a 31. *ἡ δὲ τῶν νέων φιλία δι' ἡδονὴν εἶναι δοκεῖ · κατα πάθος γὰρ οὗτοι ζῶσι, καὶ μάλιστα διώκουσι τὸ ἡδὺ αὑτοῖς καὶ τὸ παρόν · τῆς ἡλικίας δὲ μεταπιπτούσης καὶ τὰ ἡδέα γίνεται ἕτερα · διὸ ταχέως γίγνονται φίλοι καὶ παύονται.*

2) Don Carlos, Act 1. Sc. 9. Der Traum ist göttlich.
Doch wird er nie verfliegen? Ist mein Karl
Auch seiner so gewiß, den Reizungen
Der unumschränkten Majestät zu trotzen?
Noch ist ein großer Tag zurück – ein Tag —
Wo dieser Heldensinn — ich will Sie mahnen —
In einer schweren Probe sinken wird.
Don Philipp stirbt. Karl erbt das größte Reich
Der Christenheit. — Ein ungeheurer Spalt
Reißt vom Geschlecht der Sterblichen ihn los,
Und Gott ist heut, der gestern Mensch noch war.
Jetzt hat er keine Schwächen mehr u. s. f.
Er schläft berauscht in diesem Himmel ein,
Den seine Sklaven listig um ihn schufen.
Lang, wie sein Traum, währt seine Gottheit. — Wehe
Dem Rasenden, der ihn mitleidig weckte!
Was aber würde Roderich? — Die Freundschaft
Ist wahr und kühn — die kranke Majestät
Hält ihren fürchterlichen Strahl nicht aus.
Den Trotz des Bürgers würden Sie nicht dulden,
Ich nicht den Stolz des Fürsten.

tanti non esse videantur, ut eam aeternae amicitiae affirmationem satis explicent, qua se obstringit qui paulo ante gravissimis dubitationibus fuerat agitatus; id tamen manifesto apparet, ex poetae quidem opinione amicitiam cum principe non esse, nisi virtutem praestet potentiae parem, hoc est, nisi quanto superat imperio etiam virtute superior sit: nam in tanto humanarum rerum fastigio virtute non defici, id ipsum est superiorem esse. Talem autem Caroli animum fuisse, sub finem tragoediae ostendit extremum amicorum colloquium, ubi, quum ab amico crudelissime destitutus ac perditus esse videatur, suam tamen potissimum accusat infirmitatem, seque perire aequum censet, ut amici opera imperii salus et aurea quasi Hispaniae aetas paretur, quam ipse insano novercae amore captus ac debilitatus afferre nequiverit. Qua egregia humilitate, ut tum quum amici gratia tergum verberandum praebuit, sic iterum illum vicit, vicitque ita, ut tantam amoris et fiduciae exsuperantiam se ne divinasse quidem animo confiteretur.[1]) Non me fugit poetam ipsum, acutum sui interpretem, in epistolis quas de Carolo principe scripsit, eorum opinionem fortiter oppugnasse qui in celebranda amicitia omnem vim ejus tragoediae ponerent. Quod licet ita est et totum opus altiora quaedam spectat, tamen amicitiae non excluditur egregium specimen, idque a scriptore diserte affirmatur, qui Roderici ingenio subtiliter explicato sub finem epistolae

---

1) Don Carlos, Act 5. Sc. 1. Du selbst wirst jetzt vollenden,
Was ich gesollt und nicht gekonnt — du wirst
Den Spaniern die goldnen Tage schenken,
Die sie von mir umsonst gehofft. Mit mir
Ist es ja aus — auf immer aus —
Das hast du eingesehn — O diese fürchterliche Liebe
Hat alle frühen Blüthen meines Geistes
Unwiederbringlich hingerafft. Ich bin
Für deine großen Hoffnungen gestorben.
Vorsehung oder Zufall führen dir
Den König zu — es kostet mein Geheimniß,
Und er ist dein — du kannst sein Engel werden.
Für mich ist keine Rettung mehr — vielleicht
Für Spanien — Ach, hier ist nichts verdammlich,
Nichts, nichts als meine rasende Verblendung,
Bis diesen Tag nicht eingesehn zu haben,
Daß du — so groß als zärtlich bist.

Marquis. Nein! das,
Das hab' ich nicht vorhergesehen — nicht
Vorhergesehn, daß eines Freundes Großmuth
Erfinderischer könnte sein als meine
Weltkluge Sorgfalt.

quartae declarat se amicitiam vel amicum exhibuisse animi perturbationibus carentem; quibus verbis tantum abest ut amicitiae vis minuatur, ut altius tollatur, propiusque accedat ad eam quam Aristoteles dixit *τελείαν*, quamque laudat ut suspicione et criminatione carentem (*ἀδιάβλητον*). Quod viderit quisquis voluerit philosophi de juvenum amicitiis sententiam cum descriptione perfectae amicitiae comparare, Schillerique epistolas, tertiam dico et quartam, evolvere. Nobis satis fuit ea expromere quae ad illustrandam Aristotelis opinionem usui essent.

Revocanti vero animum a poetarum fictis fabulis ad historiam rerum, amicitiasque memoria hominum celebratas perlustranti, in mentem venit ipsius philosophi cum Alexandro rege intima atque amicissima conjunctio, quam nemo, credo, negabit firmioribus fuisse fundamentis sustentatam quam Platonis, Pindari, Aeschyli, aliorum cum tyrannis consuetudinem, quod magnus ille rex, ut potentia, ita excellentia ingenii animique altitudine eminebat, omnesque regias virtutes possidebat quasi perfectas et cumulatas. Cui, quemadmodum Plato Socrati praeceptori in dialogis, ita praeceptor Aristoteles passim in scriptis monumentum posuit aere perennius, quod nulla vis aut temporum injuria exstinguet. Non enim, ut erat Graecorum natura libertatis maxime studiosa, regium imperium omnium optimum declarasset,[1]) nisi in Alexandro vidisset unum illum virtute omnibus superiorem, qui quasi deus esset inter homines, quemque, quum ipse instar legis esset, omnibus imperare legesque ferre oporteret.[2]) Solent enim, ut bene Cicero, boni viri in amicum intueri ut in exemplar sui; et apud Aristotelem in ejusmodi dictis cum philosophi gravitate amici quoque animum suaviter esse conjunctum etiam alii viderunt, ut Droysen, qui ipsa illa verba libro de Alexandri vita scripto praeposuit. Quare gratias agimus Roberto Geiero, qui nuper in libello, qui inscribitur *Alexander et Aristoteles*, cum universam regii magistri disciplinam copiose tractavit, tum de amicitia regis et philosophi ita disputavit, ut neque in laudando humanitatis modum excederet, et a variis criminibus in eum collatis regem sano judicio vindicaret.

---

1) 1160 a 30 sqq. *πολιτείας δ'ἐστὶν εἴδη τρία — τούτων δὲ βελτίστη μὲν ἡ βασιλεία.*

2) 1284 a 3 sqq. *εἰ δέ τίς ἐστιν εἷς τοσοῦτον διαφέρων κατ' ἀρετῆς ὑπερβολὴν — — ὥσπερ θεὸν ἐν ἀνθρώποις εἰκὸς εἶναι τὸν τοιοῦτον. — κατὰ δὲ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος · αὐτοὶ γάρ εἰσι νόμος.* — 1288 a 15 sqq. *ὅταν οὖν ἢ γένος ὅλον ἢ καὶ τῶν ἄλλων ἕνα τινὰ συμβῇ διαφέροντα γενέσθαι κατ' ἀρετὴν τοσοῦτον ὥσθ' ὑπερέχειν τὴν ἐκείνου τῆς τῶν ἄλλων πάντων, τότε δίκαιον τὸ γένος εἶναι τοῦτο βασιλικὸν καὶ κύριον πάντων καὶ βασιλέα τὸν ἕνα τοῦτον.*

Schulnachrichten.

1. Allgemeines.

Das verflossene Schuljahr ist insbesondere durch die Erweiterung der Realabtheilung, so wie durch die Verstärkung und den allmählichen Ersatz der in Folge von Todesfällen geminderten Lehrkräfte, für das Catharineum von Bedeutung gewesen. Wir hatten schon beim Abschluß der Chronik des vorigen Jahres (Progr. von 1856, S. 62) die Freude, melden zu können, daß die Errichtung einer vierten Realclasse (Unterquinta) von Einem Hohen Senate genehmigt war; es folgte bald darauf die Ernennung des dazu erforderlichen Lehrers in der Person des Cand. rev. min. Sartori, der sich bereits durch längere aushelfende Thätigkeit der Schule empfohlen hatte, und nun als sechster Oberlehrer in die Reihe der ordentlichen Lehrer des Catharineums eintrat. War auch das Local für die neue Classe vorläufig noch nicht vorhanden, sondern sollte erst gebaut werden; so litt doch um der Schüler willen die Errichtung der Classe selbst keinen Aufschub, und man mußte sich während des Sommersemesters in einem kleinen, oben im Hause befindlichen Zimmer behelfen, wo freilich die zwanzig Schüler eng genug saßen, und für den Lehrer nicht viel mehr Platz übrig blieb, als er für einen Stuhl und zur Aufstellung einer Wandtafel nöthig hatte. Michaelis konnte endlich das neue Local bezogen werden, und gewann damit die Schule einen Raum, der ihr auch noch für andere Zwecke — wovon nachher — vortrefflich zu Statten gekommen ist. Da die neue Classe, als Unterquinta, sich nicht als eine weitere Entwickelung nach oben darstellte, sondern unten angeschoben wurde; so galt es, bei der Versetzung der Schüler am Schlusse des Jahres so zu verfahren, daß auch die oberen Classen schon von der neuen Einrichtung Nutzen ziehen könnten. Es wurden daher in die oberste Classe (III, b.) aus der nächst unteren (IV, b.), welche bis dahin immer an Ueberfülle gelitten hatte, nur wenige, und zwar diejenigen versetzt, welche entschieden durch Alter und Reife darauf Anspruch hatten; die übrigen blieben in der Classe sitzen, so wie auch die Quintaner sämmtlich in ihrer Classe beisammen gelassen wurden, ohne einen Theil nach Quarta abzugeben. Es wurde dadurch erreicht, daß in allen drei Classen der Unterricht stetig fortschreiten konnte, ohne daß, wie es sonst hätte geschehen müssen, durch den Eintritt niederer Schüler ein Rückgehen nöthig gewesen wäre, und hat also das Ziel der drei oberen Classen höher gesteckt werden können. Den Stamm der neuen Classe endlich (V, b, 2.) bildeten die von Sexta herübergekommenen, nebst einigen der schwächeren alten Quintaner, denen es nöthig war, den Elementarcursus noch einmal durchzumachen.

Sechste Classe.

Untersexta. VI, 2. Ordinarius: Hr. Collaborator Richter.

Religion. 2 St. Die wichtigsten Geschichten des alten und neuen Testaments wurden vorerzählt und von den Schülern nacherzählt. Gebete und Bibelsprüche memorirt. Hr. Meyer. — Naturgeschichte. 2 St. Es wurden Abbildungen der wichtigsten einheimischen Säugethiere, Vögel, Amphibien und Fische vorgezeigt und daran die Beschreibung derselben geknüpft; ferner zur Belebung des Unterrichts Erzählungen und Fabeln über die betreffenden Thiere mitgetheilt. Hr. Coll. Richter. — Geographie. 2 St. Entwickelung geographischer Begriffe mit besonderer Berücksichtigung der heimatlichen Umgebung. Allgemeine Uebersicht der Weltmeere und Erdtheile, insbesondere der Länder und Gewässer Europa's. Hr. Meyer. — Lesen. 4 St. Es wurde vor Allem auf Fertigkeit und richtige Betonung gesehen; daneben dunkle und bildliche Ausdrücke, so weit zum Verständniß nöthig, erklärt. Wöchentlich zweimal wurden Aufgaben zum Memoriren gegeben. Hr. Coll. Richter. — Deutsch. 4 St. a) Grammatik. 2 St. Mit Benutzung des Lesebuches wurden die ersten grammatischen Begriffe entwickelt und durch vielfache mündliche Uebungen befestigt; ferner fleißige Uebungen, sowohl mündlich als schriftlich, im Decliniren und Conjugiren. Hr. Coll. Richter b) Orthographie. 2 St. Es wurden die Hauptregeln der Rechtschreibung und Wortbildung an Beispielen entwickelt und geübt. Zweimal wöchentlich schriftliche Hausarbeiten. Hr. Coll. Richter. — Rechnen. 4 St. Die vier Grundrechnungen in unbenannten Zahlen, für die geübteren Schüler auch in benannten. Eine Stunde diente vorzugsweise zum Kopfrechnen, und wurden die Zahlen von 1 — 100 nach „Grube's Ideen" allseitig durchgenommen. Hr. Meyer. — Schreiben. 4 St. Die Buchstaben des deutschen und lateinischen Alphabets bis zu Zusammensetzungen von Wörtern. Hr. Sager. — Zeichnen. 2 St. Von den Elementen bis zu gradlinigen Figuren. Hr. Sager. — Gesang. 2 St. Uebungen nach dem Gehör. Einstimmige Lieder, deren Text memorirt wurde. Hr. Sager.

Obersexta. VI, 1. Ordinarius: Hr. Collaborator Richter.

Religion. 2 St. Die biblischen Geschichten des neuen Testaments wurden nach ihrem innern Zusammenhang besprochen. Theils erzählten die Schüler, die sich aus Zahn's biblischen Historien vorzubereiten hatten, theils erläuterte der Lehrer einzelne Abschnitte. Zu memoriren hatten die Schüler zu jeder Stunde, entweder Gesangverse und Bibelsprüche, oder aus dem Katechismus. Hr. Coll. Richter. — Geschichte. 2 St. Erzählungen aus der griechischen und römischen Geschichte und Lernen der wichtigsten Zahlen. Hr. OL. Burow. — Geographie. 2 St. Uebersicht der Land- und Wasservertheilung in Europa; die Strom- und Flußgebiete von Central-Europa, nach Schacht's Lehrbuch. Politische Geographie von Deutschland, den Niederlanden und Scandinavien. Hr. Meyer. — Naturgeschichte. 2 St. Im Sommer wurden wild wachsende Pflanzen genau betrachtet und deren Merkmale aufgefaßt; daran geknüpft Mittheilungen aus der allgemeinen Pflanzenkunde. Im Winter: Beschreibung der wichtigsten inländischen Säugethiere und Vögel. Hr. Coll. Richter.

— Deutsch. 4 St. Einübung der Analyse des erweiterten einfachen Satzes an der Hand des Lesebuches, Befestigung der Formenlehre und der Orthographie. Wöchentlich zwei Aufsätze, bestehend aus kleinen Erzählungen und Beschreibungen. Hr. Coll. Richter. — Lesen. 1 St. Nach Auras und Gnerlich, Thl. 1. Auf deutliche Aussprache und richtige Betonung wurde gehalten. Wöchentlich wurde von den Gedichten memorirt. Hr. Sager. — Latein. 6 St. Einübung der Declinationen und regelmäßigen Conjugationen nach Scherling's Elementarbuch. In der Regel wöchentlich zwei kleine Exercitia. Von Ostern bis Michaelis: Hr. OL. Dr. Holm; nach Michaelis: Hr. OL. Burow. — Rechnen. 4 St. Die vier Grundrechnungen mit benannten Zahlen nach dem Lüb. Rechenbuche, Heft 2. Die Anfänge der Bruchrechnung nach Harms' Rechenbuch. Eine Stunde vorzugsweise Kopfrechnen. Hr. Meyer. — Schreiben. 4 St. Wiederholung des deutschen und lateinischen Alphabets; Wörter und Sätze nach Vorschriften. Hr. Sager. — Zeichnen. 2 St. Freies Handzeichnen. Geradlinige Figuren und deren Zusammenstellung. Hr. Coll. Haase. — Gesang. 1 St. Lieder und Choräle. Die Lieder mußten außer der Stunde memorirt werden. Hr. Sager.

Realclassen.

Fünfte Classe.

Unterquinta. V, b, 2. Ordinarius: Hr. Oberlehrer Sartori.

Religion. 2 St., combinirt mit V, b, 1. Hr. Coll. Richter. — Geschichte. 2 St. Nach Dielitz' Grundriß die alte Geschichte, mit Einübung der wichtigsten Jahreszahlen. Hr. OL. Sartori. — Geographie. 2 St. Die allgemeine Geographie, die Weltmeere und Welttheile nach Grautoff's Tabellen. Hr. OL. Sartori. — Mathematik. 4 St. a) Geometrie. 3 St. Nach Harms' geometrischen Aufgaben wurden die ersten drei Abschnitte (von den Linien, den Winkeln und den Parallelen) eingeübt, und noch Einiges von den Dreiecken durchgenommen. Besonders wurde auf Gewandtheit im Figurenzeichnen gesehen. Hr. OL. Sartori. — b) Arithmetik. 1 St. Nach Scherling's Leitfaden der erste und zweite Abschnitt (Vorbegriffe, Grundbegriffe der vier einfachen Rechnungsarten, Klammern, Summen und Differenzen). Hr. OL. Sartori. — Rechnen. 4 St. Repetition der 4 Species, genaue und vollständige Kenntniß der Bruchrechnung. nebst Beispielen für's praktische Leben. Eine Stunde wurde vorzugsweise auf Kopfrechnen verwandt. Hr. Coll. Haase. — Deutsch. 4 St. Der erweiterte einfache Satz, die Wortarten und ihre Biegung und die Wortbildung, verbunden mit orthographischen Uebungen. Wöchentlich einmal hatten die Schüler einen Aufsatz zu liefern und aus dem Lesebuche zu memoriren. Von Ostern bis Michaelis: Hr. OL. Sartori; nach Michaelis: Hr. Coll. Richter. — Lateinisch. 4 St. Jacobs' Latein. Elementarbuch Abschn. III. gelesen und schriftlich übersetzt, 2 St. In den beiden andern Stunden wurde die Etymologie nach Scherling's Elementarbuch beendigt und die wichtigsten syntaktischen Regeln eingeübt. Wöchentlich wurde ein Exercitium, von Zeit zu Zeit eine Probearbeit geschrieben. Hr. OL. Sartori. — Französisch. 6 St. Grammatik und Leseübun-